



42
THESES MEDICÆ
DE INCUBO, 1644, 2
22

Quas
ANNUENTE DEO OPT. MAX.
Consensu & Autoritate
AMPLISSIMI ET EXPERIENTISSIMI
COLLEGII MEDICI, IN FLORENTISSIMA
& Celeberrimâ Academiâ Borussiacâ
Regiomontanâ Electorali
Pro Receptione
IN INCLYTUM ORDINEM
Asclepiadeum,
PVP LICÆ PLACIDÆQ; LITERATORVM
Censuræ subijcie

LUDOVICUS KEPLER
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR
Sac^z. Reg^z. M^{tis}. Polonico-Suecicæ &c. &c. uti &
Sereniss. Electoris Brandenburgici &c. &c. Medicus,
& Immunitatum Electoralium Regiomontana-
rum Physicus Ordinarius,

PRÆSES

Respondentis munus suscipiet

PHILIPPUS JACOBUS Moldenhaswerl
Thor: Prussus

Die 6. Decembris

ANNI JUBILÆI ACADEMICI
à Christo nato M. DC. XLIV.

In Auditorio magno, horis antemeridianis.

REGIOMONTI, Typis REVSNERIANIS.

MAGNIFICIS GENEROSIS NOBILISSIMIS
Omnibusq; Virtutum ornamentis splendidissimis

Serenissimi Electoris Brandenburgici Consiliariis,
ac Supremis Borussiae Directoribus

DN. JOHANNI EBERHARDO à TETTAW,
Supremo Provinciae Magistro &c.

DN. BERNHARDO à KÖNIGSECK, Supremo
Burggrabio, Genere & Doctrinâ eminentissimo, &c.

DN. FABIANO ab OSTAVV, Cancellario
Dignissimo &c.

DN. ASVERO BRANDT, Supremo Mare-
schallo meritissimo &c.

UT ET

*Generis Nobilitate Eminentissimis Varioq; Virtutum & Ex-
perientiae splendore fulgentissimis, Magnificis, Excel-
lentissimis ac Consultissimis, Dominis Judicij
Aulici Consiliariis,*

Dn. GEORGIO à Kauschke/Præsidi &c.]

Dn. FRIDERICO à Gōzen/ &c. | Equi- |

Dn. ALBERTO à Grōben/ &c. | tibus |

Dn. JOANNI ab Ostaw/ &c. | Bo- } Asses- |

Dn. JOH. GEORGIO ab Haugwitz/ | rus- } fori- |

Dn. JOH. ERNESTO à Wallenrodt/ | sia. } bus. |

Dn. MICHAELI FRIESEN, |

Cambiensis Consistorij Officiali | l. V. Do- |

Dn. GEORGIO REINMANN, | toribus |

Dn. REINHOLDO Derschaw/ Jacutissimus.

Magnis suis Patronis, Promotoribus ac Fautoribus,
Observantiae contestandae gratiâ, Theses haec,
eum foelici Novi anni auspicio, Strenae loco
offert, dicat ac consecrat.

AUTHOR & PRÆSES.


DE INCUBO POSITIONES.

INCUBI tractationem suscipientes,
ut secundum Dogmaticæ Medicinæ præscri-
ptum omnia proponamus; sequentia per-
pendenda esse videntur: I. NOMEN II. DEFINI-
TIO REI. III. SUBIECTVM. IV. CAUSA & ejus Ge-
neratio. V. DIFFERENTIÆ. VI. SIGNA. VII. ME-
DICATIONIS INTENTA. VIII. IPSA CVRATIO cum
suis instrumentis, uti succinctâ positionum serie
seinvicem insequuntur.

THESIS I.

INCVBVS, qui ab *incubando* dicitur; quia hoc affe-
ctu laborantes, aliquid Corpori suo incubare sibi
imaginantur: vel à Viro quodam hunc affectum pati
solito, quem *Incubonem* nominabant, cujus natura erat,
post epulas perpetuò dormire ad accipienda responsa,
de quo *Virgil. 7. Aeneid.* dicitur & *Strangulator*, quia æ-
groti putant, se ab aliquo strangulari. Hunc olim vul-
gares, & præcipuè Mulieres *Folletum* appellabant, for-
tè derivatione desumptâ, à græco vocabulo *ἄβολη*
quod est *Aggressio, invasio*, quòd sub specie humanâ dor-
mientes soleat invadere. Aliàs Græcis dicitur *ἑφιάλτης*
ἄπο τῆς ἐφιάλειδος h. e. *ab insiliendo*. secundum *Gorrh:* definit:
Medic: vel ab *Ephialto*, *Neptuni & Iphimedæ filio*, quem
Homerus Odüss. λ. v. 307. & seqq. inter Gigantes numerat;
siquidem *Incubo* laborantes, res monstrosas sibi imagi-
nantur, inter quas & Gigantes referuntur, quia propter

A 2 molem

molem vigilantibus quoq; terrorem incutiunt. Vel
 ἔκτα τὸ λαλῶ i. e. extendo, quia qui *Incubone* infestantur,
 aliquid super corpus suum sese extendere opinantur.
Themisoni, Aureliano teste. lib. 2. Epist. dicitur Πνιγαλιῶν &
 Πνιγαίων à suffocando, derivatione desumpta à Verbo
 Πνίγω i. e. suffoco, strangulo, Hinc & Πνικᾶ pro *Incubo* spe-
 ctro sumitur, apud *Aldrovand: ornithologias lib. 8.* Quia
Pnica, vel Pniga avis, credita fuit, quæ noctu Πνίγειν i. e.
 suffocare dormientes conaretur, quæ & *Stryx* dicitur
 & *Strynx*, à *Stringendo*, quod uti aliqui volunt, infan-
 tum Corpora stringat & comprimat; uti & *Maleficæ*
Stryges appellantur, quæ creduntur pueris esse causa
 nocturni timoris, quæ *Festo Volaticæ* mulieres dicun-
 tur, *Vid. & Aeginet: Tetrab: 2. serm: 2. Cap. 12. cui* quoq; hic
 affectus Πνιγαλιῶν dicitur & *Avicem. Fen. 1. Canon: 3. Cap. 5.*
Tract. 5. Strangulator. Germanis & præcipuè *Austriacis*
 dicitur die *Trutte* / quasi *Tructt* / vom *Trucken* / hinc
 etiam figura quinquangularis  quam pro defen-
 sione ab *Incubone* ex supersti- tione cunis puero-
 rum adscribere solent, dicitur ein *Truttensuesß.* *An-*
glis & Hollandis dicitur die *Maar*; aliis das *Wichte-*
le / *Nachtgespenst* / das *Schränlein* oder *Nachtmännlein* /
 quoniam *Diabolus* variâ specie indutus, homines ex
 permissione *DEI* interdum omninò jugulat.

II. Nos foro nostro Nos accommodamus, & p. r.
 investigationem Naturæ Spectrorum aliis committi-
 mus. *Incubum* tanquam affectum p. n. ex causis mor-
 bificis internis & naturalibus oriundum contemplan-
 do, prout eum describit *Virgil: lib. 12. Aeneid: versibus*
 sequentibus:

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressie
 Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
 Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
 Succidimus. Non lingua valet, non corpori notæ
 Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

III. Est

III. Est namq; *Incubus* Facultatis animalis Actio diminuta, circa Respirationem vocem & Motum, cum depravatâ Imaginatione ponderis Thoraci somni tempore incumbentis; dependens ab Obstructione sinuum Cerebri & Nervorum, influxum Spirituum animalium prohibente. *Rhas: ad Almans: lib. 9. cap. 10. Mercatus lib: 1. de intern. morb. curar. cap. 10. Sennert. Prax. lib. 1. Part. 2. cap. 28. Heurn: de capit. morb. cap. 21.*

IV. Generis loco, in hâc definitione ponimus *Læsionem facultatis animalis*, ut, quæ principatum obtinet inter tria Symptomatum genera prima, & inseparabile est Symptoma à Morbo, à quâ reliqua Symptomata veluti causaliter profluunt, & à quâ in diagnosi Morborum præcipuum partium affectarum sumitur indicium. *Fr: Ranchin: Pathol. Univers: sect: 3. cap. 3. Gal. lib. 1. de loc. affect.* Actiones enim constitutionem Corporis sequuntur *Gal. 1. de Sanit. tuend.*

V. Tripliciter autem læditur omnis Actio, vel enim diminuitur, vel depravatur, vel omninò aboletur. 2dum *Gal: Art: parv: cap. 20. de Symp: differ: cap. 2. & 3. & læditur quidem Actio, quia Incubus neq; est Exiens neq; Qualitas mutata* ita loquente *Sanctor: Comment: in Art: parv: Gal. part: 2. cap. 7. & quidem Actio Animalis, non Vitalis aut Naturalis, ut quæ dividitur vel in Principes, sc: Imaginationem, Ratiocinationem seu Discursum, & Memoriam: vel in Ministras, quæ circa Motum & Sensum occupantur. 2dum Gal. de diff. Symptom. quæ in Incubo pleræq; læduntur, nō tamen omnes; hinc differentia loco inter Actiones principes, Imaginationem salvis cæteris depravari dicimus, non diminui aut aboleri, additâ specie, circa quam ut plurimum versatur, quæ est, ponderis alicujus pectori incumbentis; inter Mi-*

nistras autem, Motum inprimis, cumq; diminutum, ponimus, ad differentiam aliarum Motus læsionum, sc: depravari & aboliti. Non autem hic intelligimus motum naturalem, ut qui in *Incubo* non læditur; sed *Voluntarium* quia Actiones naturales non læduntur in *Incubo*, neq; cessant; neq; motum Cordis & arteriarum, quia hic sub naturali comprehenditur, teste *Gal. de Motu Muscul. lib. 2.* nam licet nervos habeat Cor à sextâ conjugatione; non tamen motus, sed sensus gratiâ eos adesse asserit *Knobloch: Disput. Anat. 9. de Corde, Cap. 3. Th. 5.* Est autem hic motus voluntarius *Diminutus* tantum, non *abolitus*, quia discusso somno omnes Actiones ad integritatem suam redeunt, propterea non in *incubis* sed *æncubis* tantum læduntur actiones, cum transitivâ dispositione: neq; *depravatus*; uti in *Convulsione*, quæ semper causæ malignitatem aliquam præsupponit, *Incubus* autem non sic. Læditur demum in specie motus membrorum in *conatu resistendi*, dum ægri membra extendere, frustra tamen, conantur; & quoad *Respirationem & vocem*: quia cognationem habent omnes partes cum principio nervorum, quod in *Incubo* obstruitur, *Gal. 4. de loc. aff. c. 4.* ab hoc enim ductus nervei per universum corpus disseminantur, per quos facultas animalis medianibus spiritibus animalibus, in omnes partes Corporis & Motum & sensum distribuit.

VI. Additur autem circumstantia temporis, quando ægris hæc omnia contingere soleant, sc. in *Somno*, quo Animalis facultas ad quietem aliqualem sese componit, ex *Gal. 1. de Sympt. caus. cap. 8. Arist. lib. de Somn. & Vigil. cap. 1.* tunc enim benigna exhalatio humida cum calore ad Cerebrum fertur, (id quod plerumq; post cibum sumptum fieri solet) in eoq; persistit atq; illud dormire facit.

per

Per somnum enim Imaginatio ex halitibus ab inferioribus partibus ascendentibus, in Cerebro varias sibi fingit imagines rerum, quas sensus externi vel viderunt, audiverunt, gustarunt &c. multò magis igitur hoc facit eadem, quando vel ob malam dispositionem, Cerebrum vel in seipso vapores generat, eosque crassos; vel si aliundè transmissos increffat; vel si suâ naturâ crassi sunt vapores ex crudis & crassis humoribus geniti, ut illi ventriculos Cerebri occupent & principium nervorum obstruant; quia indè sequitur turbatio Spirituum animalium, ob motum eorum impeditum, unde & Imaginatio læditur, quia species confusæ representantur. Quare ægris accidit, quod hominibus indoctis & imperitis, qui per discursum simplicem progrediuntur ab experientiâ propriâ desumptum; quia ex observatione constat, pondere aliquo pectori incumbente, & *Respirationem* intercipi, & *vocis ac motus* impotentiam sequi; hinc ubi dolorem circa pectus in somno sentiunt, & vocem se attollere, aut respirare, vel membra movere non posse animadvertunt: statim concludunt, à pondere aliquo foris incumbente eum dolorem esse productum: atq; sic fallitur *Imaginatio*, ac si semper ex eadem causâ eadem oriretur, & non ex aliâ; quia probabile hoc ita videtur ei, qui contrarium non vidit. Nota enim simplicem plebeculam statim movere possunt, ad assertionem aliquam proferendam, quâ sapientiores non proferunt, nisi omnibus circumstantiis probè pensitatis. *Vid. Fracast. lib. 2. de intellectu.*

VII. Sic etiam sæpè fit, ut aliquis conqueratur de dolore alicujus partis, nullo tamen existente in illâ, de qua queritur, ut: si cui brachium resecetur circa humerum, & conqueratur æger de dolore digiti: cujus rei

con-

conueniens exemplum habet *Sanct. Commēnt. in Art. parvō*
part. 2. cap. 81. digr. 95. quando dicit: Cuidam Tibia ob
Sphacelum fuit abscissa, ægro tamen neq; tunc admo-
nito, neq; post multos dies: hic miser post tibiam &
totum pedem amotum conquerebatur de dolore pol-
licis. Id quod fieri putamus per reflexionem Spirituum
influentium, quando illi, qui destinati fuerunt moven-
dis digitis, in effluxu suo, locum doloris, ob partem re-
fectam transire nequeunt, arreptâ specie doloris, ob
fugam mali, subito per medios succedentes spiritus re-
flectantur, eo modo, quo vermes icti partes extremas
ad interiora retrahunt; atq; sic primi doloris speciem
imaginationi offerunt, quæ primo intuitu statim judi-
cat, dolorem in digito esse, quia à Spiritu, ei digito de-
stinato, species dolorifica offertur. Atq; sic fallitur. So-
lus namq; intellectus se intelligit, in se reflectendo,
2dum Arist. 3. de Anim. 4. t. 15. ab eo enim sensus externi
potentiam seu facultatem sentiendi acquirere, patet ex
2. Aph. 6. ubi Hippocrates dicit: quicumq; dolentes ali-
quâ parte corporis dolores non sentiunt, iis Mens la-
borat; quia maxima est συμπαθεία inter imaginationem
& partes dolentes, uti asserit Sanctor. loco citato, propter
nervos, per quos potentia sensitiva in partes influit.
Non semper autem res ab intellectu cognoscuntur per
proprias species, sed interdum per alienas, ut DEVS
ipse, quem non agnoscere possumus, nisi speciem ali-
quam eundem repræsentantem nobis in Imaginatione
fingamus. *Fracast. lib. 1. de Intellct.* propterea in Incubo
etiam non mirum est, si species doloris, ob repercus-
sionem spirituum animalium, musculis & partibus tho-
racis movendis destinatorum, à vaporibus ascenden-
tibus & pectus prementibus factam, iudicetur ab Ima-
gina-

ginatione, esse pondus aliquod, pectori incumbens; cum tamen sint vapores crassi membranas pectoris distendentes atque gravantes.

VIII. Horrenda autem & tristia spectra sibi imaginantur *Incubo* laborantes, eodem *Fracast. afferente, lib. de Antip. & Symp. rerum cap. 19.* quoniam per somnum obstructis nervis illis, qui ad pectus elevandum veniunt, & prohibita dilatatione illius, memoria subit eorum, quæ solent illam dilatationem prohibere, inter quæ occurrit pondus aliquod nos opprimens; hinc Phantasia fit ponderis nos opprimentis: hoc autem, quum uti ignotum offeratur, & ex improvise; Timor fit. Facto timore rursus memoria fit terre facientium, inter quæ nobis occurrit, aut *Dæmon*, aut *Gigas*, aut *Spectram* simile, quod horrorem incutere potest, quia per inimicitiam quandam & disconvenientiam hæ species occurrunt, quando sc. sub modo aliquo, quo nocere possunt, recipiuntur, & timorem inferunt, dum vis Imaginatrix visorum talium monstrorum recordatur, eorumque imagines & impressiones concipit. Id quod eò magis fieri solet, quando vapores nigri & tenebrosi in Imaginationis sedem irrepunt & sensus turbant; sicuti è contra à vaporibus benignis insomnia læta existere solent. *Sanct. Meth. Vitand. error. lib: 6. cap. 10.* Quia igitur insomnia, ad quæ *secundum Mercatum & Incubus* quodammodo referri potest, Monstrorum & Imaginum plena sunt, & quia aliàs in somno non tam liberè respiramus, quàm cum vigilamus, etsi *Incubo* non laboremus; hinc fit, ut eò facilius talia spectra (qualia interdum & Vigilantes sani, in tenebris ambulantes, sibi fingunt) *Dæmones* sc. & *Gigantes*, (qualis & *Ephialtes*, à quo *Affectus* nomen habet, fuit) sibi fingant & Imagina-

B

tionem,

tionem, imò majora interdùm & vehementiora, quàm
reipsa sunt; cujus causa est; quia uti ad id, quod in uno-
quoque genere notissimum, sese primò omnium con-
fert Imaginatio, dum à cæteris sensationibus oriatur
facultas Animalis; in somno objectum unum cense-
esse vehementius & majus, uti loquitur *Rodericus à Vesigã*
Art. med. lib. 3. sect. 1. Cap. 48.

IX. *Subjectum Incubi, seu Locus affectus, est ipsum*
Cerebrum, quoad Ventriculos & meatus ad initium
spinalis medullæ tendentes, quatenus illi obstruuntur,
ut Spiritus animales ad reliquas partes corporis trans-
migrare, ad easdemq; sensum & motum transportare
nequeant. Nam licet, si per consensum inferiorum par-
*tium & non ex *ιδιοπαθειã* Cerebri oritur malum, vapores*
ascendentes prius premant Thoracem, Diaphragma
atq; Pulmones, antequàm ad Cerebrum pertringant,
ejusq; meatus obstruunt: propterea tamen non statim
sequitur Incubus; is enim à solâ obstructione Cerebri
dependet, id quod patet. 1. quia alia symptomata Ce-
rebri, Incubum interdùm præcedere solent, ut Tinnitus
Aurium, Dolor Capitis &c. alia subsequi, ut Apoplexia,
Epilepsia &c. 2. Quia excitati statim liberantur ab hoc
Symptomate, quod somnus secum afferre solet, quia
Incubus quasi somnium quoddam est, uti diximus. So-
mnia autem ab Imaginatione finguntur, quæ residet in
Cerebro; nam operationes Principes non nisi à parte
aliquâ Principe fieri possunt, docente Gal. 2. de loc. aff.
cap. 9 quæ absolutè sic dictæ, non reperiuntur nisi in
Cerebro Secundum Sanct. comm. in. 1. Fen. Avicen. Doctr.
5. cap. 1. et 17. fol. 640. 3. Quia Motus totius ferè corpo-
ris diminuitur, qui per Nervos mediantibus Spiritibus
Animalibus per totum corpus diffunditur, ipsi autem
Nervi

Nervi à Cerebro oriuntur, à quo etiam facultas influunt.
Ergò Cerebrum erit subiectum appropriatum *Incubi*
non quidem quoad substantiam, sed quoad conforma-
tionem partium organicarum, quibus solum obstru-
ctio tribuitur à *Gal. lib. de Constit. Artis.*

X. *Causa proxima est Obstructio nervorum et sinuum Ce-
rebri, facta à vaporibus crassis & frigidis; ortis ut plu-
rimum à venis Mesaraicis, majoribus præsertim, undi-
que circà diaphragma & præcordia dispersis, in quibus
propter primæ Concoctionis excrementa sanguis im-
purus facile colligitur; Unde vapores isti per meatus
pectoris assurgentes, Cerebri ventriculos replent, eos-
que unâ cum principio Nervorum obstruunt, atq; sic
spirituum Animalium influxum impediunt. secundum
Plat. Prax. lib. 2. cap. 4.*

XI. *Obstructio namq; est morbus Instrumentalis.
Galen. Meth. lib. II. Ergò non est Symptoma, quia im-
mediate Actiones lædit. 1. Meth. cap. 7. de diff. Morb.
cap. 1. quemadmodum Sanitas eas immediate promo-
vet; sed est Morbus Conformationis, & quidem in ma-
gnitudine meatuum diminutâ, qui Avicen. lib. 4. Fen. I.
Tract. 1. cap. 19. dicitur Oppilatio quam proximè sequi-
tur Symptoma, ipsa sc. transpirationis cohibitio secun-
dum Gal. Meth. II. Hanc autem efficit causa Continens
quæ proximè & immediate ἐμφορξίν committit in in-
ternis partibus, suâ vel multitudine, Crassitie, aut te-
nacitate secundum Cornach. Tab. 17. de febb. quæ uti est
vel Humor, vel Vapor, Petra: Disp. Chymico-Med. 12.
th. 9. in aliis obstructionibus: sic in Incubo non est
Humor, sed Vapor. Vaporosa autem ejus substantia inde
patet; quia hoc malum citò gignitur, iterumque citò
solvitur, propter tenuitatem causæ. Vapor enim secun-
dum Gal. I. de Sympt. caus. est humor extenuatus, acere*

ramen crassior, quia non obstruerent Vapores nisi es-
sent condensati, & quia condensati, hinc etiam frigidi,
densitas enim ab iis, quæ adstringunt & refrigerant.
Gal. 3. de Sanit. tuend. agnoscitur id, quia *Incubo* laboran-
tes difficulter expergiscuntur, quia & Vapores pro-
pter crassitiem difficulter discutiuntur ac dissipantur.
Crassi autem sunt, quia oriuntur ut plurimum à crassis
humoribus, uti postea dicitur, quorum tanquam mi-
neræ suæ naturam redolent; ab his igitur in Cerebrū
elevatis, & cumulatis, (sive in ipso quoq; Cerebro genitis & con-
densatis) cavitates Cerebri occupantur & obstruuntur.
Undè *Incubus* à quibusdam sed imperfectè definitur
ἡ κεφαλὴν ἀνατρέχουσα ἀναθυμίασις i. e. Vaporum in Caput
discursus. *Gorrh. definit. Med.*

XII. *Causa antecedens*, à quâ Vapor ille resolvitur,
quæ & προηγμένη dicitur; vel in ipso Cerebro residet;
vel in partibus aliis; vel in toto;

XIII. *Causa* quæ i. ipsi Cerebro tribuitur, vel est
Copia alimenti sui, vel Concoctricis facultatis imbecil-
litas, ab intemperie dependens, præcipuè humidiorē
& frigidiorē; à quibus causis copiosiora generantur
excrementa, tam crassa, quæ per suos ductus deorsum
vergentes evacuantur; quàm tenuia, quæ vaporī quā
simillima, in quem etiam facillimè resolvuntur; cujus
natura, cum, ut omnium fuliginum, sit, ampliora sem-
per quærere spacia, ita per insensibiles quasi ductus
sursum versus & ex omni parte exitum quærunt, quo
non invento, vel propter copiam, vel ob membrana-
rum solidiorē constitutionem, omnes meatus Cere-
bri obversare solent, eosq; replere, vel accedente fri-
gore vel interno, ipsius cerebri, vel externo, aeris sc:
atq; Ventorum obstruere. *Vid. Andr. Laurent. Hist. Anat.*
lib.

*lib. 10. quest. 12. Heurn. cap. 21. lib. de morb. Caput. quia
eodem referente cap. 29. Cerebrum vel ob Intemperiem
vel ob materiae copiam & qualitatem, vel ob externum
errorem læditur. 11. Quæ verò tribuitur partibus aliis,
vel in utero hæret, & sunt Menstrua vel Lochia reten-
ta, quorum excretio per inferiora cum sit prohibita,
calor autem internus nunquam fit otiosus (siquidem quod-
eunq; in corpore reperitur superfluum, cum excerni non possit, ab eo corrup-
tatur necesse est,) putrescere eos facit, multosq; inde pro-
ducit vapores, atq; fuligines, id quod etiam in Intesti-
nis puerorum præcipue, fieri solet, à vermibus ex pu-
tredine crudorum & pituitosorum humorum genitis
secundum Ranchin. de morb. puer. sect. 2. cap. 6. Vel hæret
in Uentriculo, & est cruditas, à nimiâ repletionem & co-
piâ alimentorum oriunda, quibus coquendis, Vires
Ventriculi naturales pares esse cum non possunt, copi-
osi inde ad Cerebrum eleuantur Vapores, id quod et-
iam in Hepate & Liene fieri potest, quando vel ob in-
temperiem vel copiam aut qualitatem humorum, eo-
rum coctioni non sufficiunt. Unde. III. totius massæ
sanguineæ oritur corruptela, docente *Galeno lib. de Eu-
chym. & Cacoehym.* Siquidem ex Cruditate vel imperfe-
ctus & crassus sanguis generatur, quia posterior conco-
ctio non potest corrigere errorem à priori commissum:
vel Pituita crassa, ex frigida & cruda Chyli portione;
vel Melancholia, ex frigida & terrestri; siquidem
ex diversâ materiâ diversi fiunt humores, asserente,
Fernel. lib. 6. Physiol. cap. 4 & quemadmodum una chor-
da in testudine nimis intensa vel remissa, totius in-
strumenti dissonantiam parit, & omnium Chordarum
harmoniam turbat, *Sander. Comm. in Art parv. part. 3. cap.
85. part. 12.* sic uno humore peccante totius massæ*

fanguineæ proportio violatur, ut indè oriatur morbo-
rum ferè omnium parens Cacoehymia. *Heurn. Physiol.*
cap. 12. Crassi igitur quia sunt, atq; frigidi, isti humo-
res, crassos & frigidos indè vapores generari necesse
est; & propter hanc suam crassitiem, quia exiliores ve-
nas penetrare non possunt; necessarium est, eos in ma-
joribus venis circà diaphragma & præcordia dispersis,
contineri. Atq; sic omnes causas hùc referimus, quæ
Epilepsiam generare possunt, exceptâ malignitate &
acrimoniâ, quas passim authores enumerant, ut: *Beniv.*
lib. 1. de abd. cap. 97: Fernel. lib. 5. Pathol. cap. 3. Schenck:
Tom. 1. lib. 1. Obj. 192. 194. 208. 220. Forest. lib. 10. obs. 66.
Rulandus Cœneur. 8. Curat. 13. & alij, quæ quia Epilepsiam
tanquam grandius malum generare possunt, multo, cit-
tius generabunt Incubum, qui tantum est dispositio quæ-
dam ad Epilepsiam, ejusq; antesignanus.

XIV. Maximè igitur secundùm *Manard. Epist. 3.*
lib. 3. huic affectui obnoxij sunt 1. *Pueri*, ob plurimas
cruditates quas generant. 2. *Fæminæ*, quæ multo hu-
more abundant, & calore sufficiente carent, præcipuè
Puerperæ, quæ multis vaporibus ex retentis Menstruis
& Lochiis abundant. 3. *Pituitosi & Melancholici* ra-
tione Cause antecedentis, *Casp. Wolff. Viatic. Med. Pract.*
cap. 11. 4. *Plethorici*, siquidem *Manardus* citato loco, ait:
se nunquam deprehendisse aliquem hoc morbo labo-
rantem, qui exiliores habuisset venas, aut qui fuerint
pallidi; sed potius homines robustos & distentas ve-
nas habentes.

XV. *Causa Externa*, quæ & *Evidentes* dicuntur, &
Procatartica, sunt *ἄδνηφωγία* seu nimia Cibi sacietas.
Communis namq; regula est: *Cibis non repleri, nec fame*
torqueri, cujuslibet ventericuli constitutioni convenire. *Horst:*
lib.

lib. I. de sanit: tuend: Cap. 6. Nimia enim Satietas, *adum Gal: de Caus: Morb:* optimos quosq; cibos noxios esse facit, quia Copia sæpè plus nocet quàm qualitas. Clausuram namq; Ventriculi impedit, calorem ejus obtundit ac dissipat, quia distrahitur Natura à certamine cum morbo, si quis præsens est, non sine magno detrimento, dùm aggreditur coctionem redundantis alimenti uti loquitur *Sanctor: Meth: Vitand: err: lib. 15. c. 3.* cui coquendo, si in sanis quoq; non sufficiat Calor natus, necesse est istud alimentum crudum manere, & inde crudos vapores generari. Copia namq; cibi, consideratur, vel respectu habito ad facultatem, si illa sit imbecillior: vel ad ipsum alimentum, quatenus id est superfluum, vel ad utrumq;. *Gal. lib. 3. de Symp. Caus.* hoc pacto enim & frigidos Morbos. *lib. de Caus: morb:* & humores & vapores generat *Gribas: Synops: lib. 9. c. 11.* multò magis autem id fieri putamus, quando Cibi flatulenti ingerantur, aut Crudi, item Aqua frigida; Vinum quoq; largiùs potum, idq; crassum, & Cerevisia crassa &c: à quibus omnibus & Calor natus obtunditur, crassi humores generantur, & inde vapores assurgunt copiosiores. Vinum enim, quàmvis, modicè sumptum, Balsamus senum nuncupetur à Galeno; Crassum tamen aut copiosius haustum, uti & Cerevisia crassa non benè lupulata aut defæcata, quæ incommoda ferant, præcipuè Crapulæ deditis, quotidiana testatur Experientia, quia vapores adeò copiosè ad Cerebrum elevantur, ut per Somnum, etiam longiorem, discuti omnes haud valeant, sed sequenti die adhuc in Cerebri cavitatibus detenti, dolores capitis generant.

XVI. Quia

XVI. Quia verò nimiam repletionem somnus statim sequitur, *Gal. I. de Sympt. caus.* præcipuè si humidiores cibi sint ingesti, & quia in somno vapores copiosiores sunt, quàm tempore vigiliarum, *3. de Caus. puls. cap. 10.* cui si quis statim post repletionem, assumptumq; cibum sese committit, causam causæ jungit, quia Caput repletur & obruitur vaporibus, & somnū reddit potiùs Comatosum, quàm naturalem. *4. Aph. Comm. 67.* præcipuè si supinus accedat decubitus, quia promptior fit in Caput evaporatio, meatus cerebri namq; in supino decubitu aliquo modo comprimuntur, ut eò faciliùs obstrui possint. Si deniq; his omnibus superveniat injuria frigidi Aëris externi, vel aliarum rerum frigidarum applicatio, vapores eò magis incrassantur, atq; sic obstructionem augent, & quæ possunt esse aliæ, de quibus videantur Practici, imprimis *Platterus, Sennertus & alij.*

XVII. *Differentiæ Incubi*, desumuntur. 1. à Causâ Efficiente. 2. à tempore. 3. ab Accidentibus.

XVIII. *Ratione 1. Causæ* alius *Incubus* dicitur fieri per *ἰδίωντητα* Cerebri, alius per *συμπάθειαν* aliarum partium, sc: Ventriculi, uteri, Intestinatorum &c. Vel totius etiam massæ sanguinæ, siquidem pro diversitate humoris prædominantis, diversa quoq; in Imaginatione generantur Phantasmata. Ex insomniis enim de Corporis & humorum constitutione conjecturam facere licet. *Hipp. lib. 6. Epid. & lib. de insomniis.* 2. *Ratione temporis*, alius dicitur *Recens*, qui non ita pridem vel non sæpè adhuc molestus fuit: alius *inveteratus* à quo æger jam sæpius oppressus, & quasi stupiditatem quandam nactus est: 3. *Ratione Accidentium*, alius dicitur *mitior*, prout à tenuiore vapore est exortus; alius *gravior*

vior & vehementior, in quo vapor & crassior & tenacior, tardiusq; ac difficilius discuti potest: alius omnino exitialis, cui suffocationis periculum conjunctum est.

XIX. *Signa*, quæ de Constitutione, dignotione & successu affectûs nostri Nos edocere possunt, vulgò Medicorum Schola dirimit in *διαγνωστικά* & *προγνωστικά*, Morbum illa præsentem, hæc verò futurum, factiq; successum monstrant.

XX. *Signa Διαγνωστικά* quæ præsentem Affectum indicant & patefaciunt, desumuntur. 1. *ab Effectis*, seu *Consequentibus Symptomatis*, inter quæ primum locum obtinet *Actio læsa*. 2. *à Causis Incubum generantibus*. Utraq; vel Affectum *Per se* patefaciunt, vel *ab aliis cognatis eundem discernunt*, Suntq; vel *Antecedentia*, vel *Concomitantia*, vel *Supervenientia*.

XXI. Et licet tres sint Signorum fontes, sc: *Essentialiter inherencia*, *Effectus* & *Causæ secundum Sennert: lib. 3. Inst. part. 1. sect. 1. cap. 3.* quia tamen *Incubi* natura non ita est in propatulo exposita, sed opus habet, ut ex *Consequentibus* judicetur; misso primo fonte, è duobus posterioribus *Signa Incubi* producemus.

XXII. *Effectus* igitur *Incubum per se* demonstrantes, diximus esse *Symptomata*, in primis *Actionem læsam*, quæ radix dicitur omnium aliorum *Symptomatum à Sancto: Meth: vitand: err: lib. 1. Cap. 6.* Nam quia læditur *Imaginatio*, fingendo sibi pondus aliquod pectori incumbens; insuper *Motus Vocis & Respirationis* difficultas adest, idq; in *Somno*; Ergò est *Incubus*, quod excitati ægri, facile judicare possunt. Inde q; Medicus ratiocinatur *Cerebrum* esse læsum, quia in *Cerebro* residet *Imaginatio*, à quo sensus ac *Motus per uni-*

C

ver-

versum Corpus diffunduntur. *Secundum Gal. l. 7. de plac. cap. 3.*

XXIII. *Causæ monstrantes, an Affectus sit per idiosyncrasias vel per sympathias oriundus, desumere jubet Mercatus, à Cerebri structurâ, Temperie, Calore & Spiritu, quæ si in ipso Cerebro præternaturam constituta esse deprehendantur, affectus ex idiosyncrasiæ judicandus erit, præcipuè si præcesserit Tinnitus aurium, Vertigo atq; Dolor Capitis: Sin verò benè constituta esse deprehendantur ex signis à Galeno in Art. parv. cap. 8. propositis, erit Affectus ex sympathiæ aliarum partium.*

XXIV. *A cujus verò humoris prædominio ortus sit vapor ex inferioribus elevatus, qui obstructionis causa est, agnoscitur ex Constitutione Corporis & Physiognomiâ, quæ signa passim proponuntur apud Authores, inprimis apud Levin: Lemn: de Occult: Nat: miraculis: Joh. Bapt: Porta de Human: Item de Cælest. Physiognom. Sanctor. Comment. in Art. parv. Joh. ab Indagine & apud alios. non minùs etiam ex Colore & aliis circumstantiis specierum in somno occurrentium.*

XXV. *Nam si Phantasma sit rubrum, venereum &c. Sanguis abundat, quia non dantur in Corpore humano alij humores rubicundi præter sanguinem. Tale somnium fuit illud Sacrificuli apud Schenck. obs. 252. lib. 1. Hist. 1. qui ipse fateretur, se succulentum antea fuisse, nunc autem emaciatum, idq; proterea, quòd à Muliere illabente singulis noctibus violenter comprimitur, ubi omnes Incubi circumstantias recenset. Sic si Spectrum aliquod nigrum occurfare videatur & formidolosum; Melancholia in causâ est; Melancholici enim sunt timidi, quoniam caligo quædam rationali animæ circumfusa est, ut inquit idem, Obs. 203. Si deniq;*

Pruvi-

Pituita abundat, illa ex gravium & ponderosarum rerum imaginatione, & difficili solutione Affectus judicari poterit, quia Vapores à Pituitâ orti valdè crassi sunt & visciidi. Et sic de Cæteris judicium fieri potest: quia Corporis ^{διάθεσις} docente *Arist. in Problem.* ad Somniorum ^{φαντασίαν} est ^{συμβλητικόν}, ut meliora aut deteriora illa homini offerantur, prout Animo aut Corpore benè aut secùs valet.

XXVI. *Signa quæ, soluto affectu, à Symptomatis supervenientibus desumuntur*; sunt *Sudor exiguus circà faciem*, à dissipatis vaporibus: *Gravedo Cervicis*, quia ibi fuit obstructio & distentio Principij Nervorum ad Nucham residentis: *Tussicula levis*, quâ vapores circà Pulmones obversantes discutiuntur: *Pallor & cœnitas Corporis*, præcipuè in inveterato Affectu, quia ob metum recidivæ Somnum fugiunt quantum possunt *Aureliano teste*: vel etiam propter Timorem, Melancholicis imprimis in somno occurrentem, qui Spiritus & Calorem ad interiora rapit cum sanguine. Demùm *Extrementorum & præcipuè Urinæ ejusq; contentorum pravitas*; Siquidem *Paracelsus lib. 2. de Urin. judic. Traçt. I. dicit*: Si spuma ob gravitatem fundum petit, ibiq; residet, tremorem Cordis aut Incubum denotat. *Vid. & Schol. ejusdem in lib. de Urin. cap. 3.*

XXVII. *Sequuntur Signa quibus Incubus ab aliis Cerebri Affectibus distinguitur*, & præcipuè I. *Ab aliis Imaginationis depravationibus*, quæ desumuntur à *Lesionum circumstantiis*: siquidem in aliis speciebus depravatæ Imaginationis, vigilantes afficiuntur, non dormientes: ibi læduntur ^{ἐκ πικρῶς} sine læsione Motûs; in Incubo autem ^{σχηκῶς} ac cum Motûs impotentiâ, & quidem in principio somni: quo ipso etiam ab aliis insomniis differt *Incubus*, quæ quocunq; somni tempore finguntur

tur: deinde quia *Incubus* semper aliquem Affectum Corporis præter naturam internum præsupponit: Naturalia autem insomnia non semper. II. *Ab aliis Moris Symptomatis* differt *Incubus*, 1. *Specie*: quia hic est Motus diminutus, non depravatus aut abolitus. 2. *Individualiter* I. à *Lassitudine*, in quâ Imaginatio non læditur, neq; Respiratio, vel vox aut Motus, in tantum, quantum in *Incubo*. II. *Ab Epilepsia*. 1. Quia *Incubi* generatio ut plurimum procedit, à *Materiae fuliginosæ ac crassæ*, nec ullius malignitatis participis elevatione: *Epilepsiam* autem ferè semper non Vapor tantum, sed & Humor deleteriâ qualitate præditus excitat. 2. Quia in *Incubo* sensus prorsus non tolluntur, sed stupefcunt tantum: In *Epilepsia* autem totalis fit illorum abolitio. 3. Quia *Incubo* detenti Ponderus aliquod Pectori suo incumbere sibi imaginantur; *Epileptici* talia *phantasmata* non habent. 4. *Incubus* non nisi dormientes discruciat: *Epilepsia* autem Vigilantes quoq; *Vniczer. lib. 1. de Epileps: cap. 8. Dionys. Fontanon. Pract. Medic. lib. I. cap. 14.* III. A *Vertigine* quia *Vertiginosi* & *Vigilantes* & à *Causâ externâ* afficiuntur præsentem: *Incubo* autem laborantes in Somno, à rebus absentibus, solâ specie in *Imaginatione* obversante aut occurrente: Deinde in *Vertigine* halitus sunt tenuiores, in *Incubo* crassiores *adum Heurn*: IV. *Ab Apoplexiâ*. 1. *Ratione Cause*, quæ in *Incubo* non est totalis obstructio Nervorum, uti in *Apoplexiâ*. 2. *Ratione Effectus*, quia *Apoplexia* Sensum & Motum vel Motum tantum totaliter privat; *Incubus* diminutè tantum Motum. 3. *Duratione*, quia *Incubus* facilius evanescit, quam *Apoplexia*, quæ diu durare, & in quam *Incubus* transmutari solet. Et sic de cæteris quoq; iudicium fieri potest.

XXVIII. Non valdè alienus est ab Incubo, Affectus ille Pueris familiaris qui & ætate provectioribus interdum contingit, affirmante Galeno, *Comment. in 3. Aph. 24.* dum per somnos terribiles fiunt & subitaneæ Imaginationes, quæ & Hippocrati & Galeno (citato loco) dicuntur *φόβος ἢ φαντασία φοβερὰ*, Austriacis das erschrecken und auffahren der Jungen Kinder im Schlaf; in quo affectu nec vox nec motus, uti in Incubo vero, intercipitur; sed gemunt & quassantur dum dormiunt, & submissâ voce queribundi lamentantur, excusso mox somno eju-
lant vehementer & anguntur, ut magnâ vi de lecto profiliant, nisi prohibeantur. *Vid. Strobelberg. Manu-
duct. ad pueriles affectus curandos cap. 7.* Color etiam & Color alienus est à Naturæ lege, id quod fit, tum pro-
pter Causas in Incubo verò enumeratas; tum etiam, quando sanguis sive Copiâ sive qualitate pravâ pec-
cans, ad Cor aliàs debile recurrens, aut vapores cõ mit-
tens, premendo illud & stimulando hanc affectionem excitat: *addit Galenus (citato loco)* quando multi & vitiosi humores, os ventriculi gravant, & mordicant. Et quamquàm hic Affectus sub Epilepsiæ Capite collo-
cetur à *Rhase lib. de puer. Morb.* Nos tamen cum *Fonta-
no Comment. in lib. Sebastiani Austrij de puer. morb. cap. 19.* eundem Incubo magis cognatum esse credimus.

XXIX. *Signa Prognostica*, quæ vel foelicem solu-
tionem Morbi, vel tristem eventum prænunciant, &
secundum hunc vel transitum in graviolem Morbum,
vel suffocationem minantur; considerantur vel rati-
one mali incipientis; vel jam confirmati; vel ratione
causarum.

XXX. *Incubus* incipiens, firrior, levior quoq;
est Affectus, gravior tamen vertigine ob crassiores

vapores, & Epilepsiæ propinquior. Siquidem, si à causâ internâ oritur *Incubus*, & diu pericuevat, *ἰνκὺβος* est aut Epilepsiæ, si vapor pravam accedinem acquirat; vel Apoplexiæ, si meatus Cerebri fortius occupet, aut Melancholiæ, si vapores nigri misceantur spiritibus Animalibus; vel etiam Mortis ipsius, præcipuè in Pueris & obœsis corporibus, propter copiam & crassitatem materiæ obstruentis, quare præsentaneum remedium hic affectus requirit, monente *Actio retrab. 2. Cap. 10* quia quæcunq; patiuntur Comitiali morbo correpti, in exacerbationibus, (excepta Convulsione) eadem & patiuntur *Incubo* laborantes dum dormiunt.

XXXI. Multò autem periculosior est *Incubus*, qui partim dormienti, partim vigili accidit, quia hic Epilepsiæ summè vicinus. *Pessimus*, si post somnum sequatur sudor frigidus, tremor Cordis & Syncope, quia indicium est, Cor quoq; ob Copiam & pravitatem materiæ in consensum trahi.

XXXII. Deinde pro diversitate humoris, à quo oritur *Incubus*, in diversas transmutari solet Morbos: ut si est à *Piruitâ*, in Epilepsiam vel Apoplexiam; ex atra bile in *Maniam*: à *Sanguine*, in *Spasnum*, & subitam suffocationem Cordis: quæ ultima species cæteris est periculosior, quemadmodum & illa, quæ ex *ιδιωμαθείᾳ* *Celebri* oritur, quàm quæ ex *συμπαθείᾳ* aliarum partium.

XXXIII. *Indicatio* triplex proponitur ab Authoribus. *Curatoria*, *Præservatoria* & *Vitalis*. Prioræ duæ respiciunt res præter naturam; posterior verò, res secundum naturam.

XXXIV. *Incubus* igitur, quamvis sit *Affectus* urgens; quia tamen est *Symptoma*, quod non nisi sublata causâ proximâ tolli potest, qualis est *Obstructio* meatum Cerebri:

bri: ideo ad Causam hanc Nos convertimus, & mittimus ipsum Symptoma, quia nihil indicat per se: *Causa namq; proxima*, quæ, (uti dictum) est obstructio Nervorum & Ventriculorum Cerebri, cum suâ causâ continente, sc. vaporibus crassis & frigidis, concernit *Cura- toriam Indicationem*; *Causa antecedens*, à qua vapor ille generatur, requirit *Præservatoriam*, ad præcavēdas istas causas præternaturales, à quibus vapores crassi generantur, quæ sunt; Crudititas, Cacochymia & Plethora; vel etiam externæ. *Tandem vires vitalem Indicationem suppetunt*, requirentes earum rerum, quæ secundum Naturam sunt, seu dispositionis naturalis (vulgò dictæ) conservationem.

XXXV. *Prima intentio*, principaliter respicit affectum præsentem & urgentem, cui præsentaneo remedio succurrendum est, *secundum Auctoritatem Aetij loco citato* idque propterea, ne gravius inde oriatur malum, quia suffocationis periculum ab Obstructione imminet, vel *Apoplexia, Epilepsia, Mania &c.* atq; sic extraordinaria cura adhibenda frictionibus extremorum, levi commotione ægrotantis, & à somno excitatione; siquidem frictione extremorum pori aperiuntur, & commotione Corporis Spiritus quoq; corroborantur, excitantur, & ad exteriores sensus provocantur, quo ipso vapores, qui causa obstructionis sunt, secum ad exteriora revellendo abripiunt, & crassos fuligines dissipant ac discutunt. *Symphor. Champag. lib. 2. cap 7. Epitom. de Morb. partic.* præcipuè si medicamenti Cerebro pro confortatione appropriatis, iisdemq; scopis inservientibus, uti in *Apoplexiâ, Epilepsiâ & similibus*, Naturæ succurratur: quo ipso error Imaginationis de tegitur, ut se deceptam fuisse agnoscat, reliquæque
facul-

facultes Animales quoad Sensum & Motū, officio suo iterum fungi perfectè queant, quo sine etiam faciem aquā frigidā irrorare, & clamore excitare *Champegius* jubet.

XXXVI. An autem compellatio per nomen proprium, ut aliqui volunt, ad exsuscitationem Patientis, quatenus affectus ex causis Naturalibus ortus aliquid conferre aut prodesse possit! meritò dubitamus.

XXXVII. Neque postquam excitatus est Patiens diu cunctandum esse videtur, quia potius Naturæ prospiciendum, ut Humor, vel causa, à quā vapor generatur è corpore exturbetur, sive sit externa, ut *ἀδυσπυλία* & usus Ciborum flatulentorum, aut Crapula: sive sit interna, ut humores crudi, crassi, frigidi; aut Ventriculi imbecillitas, Hepatis, Lienis, Vteri, vel alterius visceris, idq; propterea, ne nova subsequatur vaporis generatio. Tandem etiam & partes roborandæ, vires conservandæ & augmentandæ sunt.

XXXVIII. Remedia desumuntur è triplici fonte, *ἰατρικίας*, sc. Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Dietâ.

XXXIX. Chirurgia, præmissâ prius crassiorum fecum expurgatione, Venæsectionem suadet, si plethora aut impurus sanguis adsit, vel etiam solennis aliqua evacuatio præternaturam supprimatur, cæteraq; consentiant, quæ in venæsectione observari solent; præcipuè si capitis aut colli dolor molestus sit; vel sicut suadet *Aurelianus*, si Ventriculus doleat. Aperiat autem vel Epatica, vel Cephalica, & si Mulieres ex suppressione Mensium laborant, vena Tali. Si verò Phlebotomiâ uti non licet; frictions usurpentur, aut Cucurbitulæ cruribus & scapulis affigantur: vel ad Caustera à Capite revellentia confugiatur, docente *Heurn.* de Cap. Morb. particul. cap. 21. Et si neq; hæc sufficiant,

ant, è Pharmaciā Clysteres mutuandi, quibus revulsio
fiat. Senn. lib. 1. Prax. part. 2. cap. 28. Placer. Prax. Tract.
2. lib. 2. Cap. 4. &c.

XL. Pharmacia Medicamenta suppeditat, tam
Interna, quàm Externa. Interna vel sunt Lenientia; vel
Preparantia, vel Purgantia, idq; vel Univerſaliter vel Par-
ticulariter; vel deniq; Roborantia, appropriata locis, à
quibus Cauſæ Morbificæ generantur ſc. vel Cerebro,
Hypochondriis, Epati, Lieni, Ventriculo, Utero, vel Intestinis
&c. Externa verò, quæ foris applicanda, & Topica ap-
pellantur, ſingulis quoq; partibus Affectis convenire
debent.

XLI. Alvum igitur Lenientia medicamenta, vel per
Anum injiciuntur, & vel Clysteres appellantur vel Suppo-
ſitoria; horum formulas apud Authores paſſim videre
licet; vel, ſi qui ob pudorem aut propter malè conce-
ptam opinionem periculi indè ſecuturi (quod delicatæ &
ſuperſtitioſæ Mulieres ut plurimum facere ſolent.) aut admittere ta-
lia nolunt, aut propter Ficus Ani admittere non poſ-
ſunt, horum loco, Medicamenta per Os propinare, eâ quo-
que formulâ, quæ ægrotandi fuerit gratisſima, quan-
tum quidem fieri poteſt, præſcribere decet, ſivè ſint ſo-
lida, ſivè liquida: licet adhuc finem aſſequendum,
Medicamenta liquidioris formæ commodiora eſſe ju-
dicemus. Hinc talis vel ſimilis portio poteſt exhibe-
ri. ut. R. Elect. Diacarth. ℞. Diaſenæ ſolut. ℞. cum Syr:
roſ. ſolut. Cochl. i. vel Aq. Abſynth. Miſc.

XLII. Hinc ad Preparantia properandum, qui-
bus humores faciliori evacuationi adaptantur; præci-
pue autem his opus eſt, ubi Humor Pituitoſus vel Me-
lancholicus altiùs inſederit. Suntq; talia vel Incidentia,
vel ſtatus diſcurientia, ex quibus vel decocta parari poſ-
ſunt,

D

ſunt,

sunt, vel infusiones, vel pulveres &c: & cuilibet humori peccanti sua appropriata admisceri, qualia in Dispensatoriis passim inveniuntur.

● XLIII. Purgantia posthæc apprehendantur. I. Universaliter Humor peccans è toto educendus, vel per Vomitum, vel per Alvum. Vomitum quidem, si à Pituita oriatur malum, *Heurinus* (supra citato loco) imperat, ad quem promovendum præter alia passim à Galenicis proposita, Chymici præparant medicamenta vel ex *Anzimonio per se*, vel cum *Mercurio permixto*. Item ex *Vitriolo*, aliisque, ut quæ huic intentioni optimè conveniunt, modò in exactâ præparatione & administratione error in observandis non committatur. Vel quibus vomitus non convenit, ut sunt præcipuè, qui angustiora habent pectora, & partes respirationi dicatas debiliores, per inferiora, uti reliqui humores peccantes, ita & Pituita evacuari debet. Quam si educere volunt Practici, exhibent *Agaricum*, *Mechoacannam* &c: vel è compositis, *Diacarbicum cum Rhabarbaro*, *Diacarthamum*, *Elect. Indum*. *Pill. de Agarico*, vel *Cochias*. *Extr. Helleb. nigri* & similia. Si Sanguinem? utuntur *Manna*, *Fumaria* *Elect. de Psyllio*, *Diacarbico* &c. Si Melancholiam? offerunt *folia Senæ*, *Myrobalanos*, *Epithymum*; *Pill. de fumar.* *Diacarbicum*, *Confect. Hamech cum decocto Melissa*, vel *Extr. Helleb.* & alia ejusdem generis.

● XLIV, Ubi tamen notandum, uti in talibus purgationibus, qualiscunq; sit humor, quem educere quocunq; modo cupimus, principaliter locorum affectorum habenda est ratio, inprimis ipsius *Cerebri*, sive per *ιδιοπαθειαν* laboret, sive per *συμπαθειαν*, ex consensu *Ventriculi*, *Hypochondriorum*, vel *Vteri* aut *Intestinorum*: ita semper admiscenda esse ea, quæ vapores caput

caput petentes arceant, flatus discutiant, aut in Cerebro collectos aut coagulatos iterum dissipent & in-
crasatos attenuare valeant. Cordis etiam rationem
esse habendam, quò illud defendatur à vaporibus præ-
cipuè Melancholicis & putridis, quales à vermibus ex
Intestinis, vel ex retentis Menstruis aut Lochiis ex
Vtero ascendere solent. Quare purgantibus medica-
mentis semper admiscenda ea, quæ principalia mem-
bra confortent.

XLV. Post universales purgationes, Caput par-
ticulariter vacuandum, *Errhinis, Apoplegmatismis, Pil-
lulis appropriatis, sc. Cochis, Aureis, Sinequibus, Arabicis &c.*
vel *Extracto eorundem*. Item *Gargarismis, Masticatoriis*
& similibus, Cerebro evacuando destinatis.

XLVI. Et sicuti universaliter purgantibus, de-
fensionis gratiâ, confortantia admiscenda esse dixim⁹;
ita post particulares evacuationes Cerebri imprimis,
refectionis gratiâ appropriata cerebro confortantia,
sunt usurpanda, eaq; tam *Interna*, quàm *Externa*: & vel
antè somnum, vel *soluto somno*, proq; causæ varietate, varia.

XLVII. *Ex Internis, antè somnum* exhiberi potest
*Conseru. Roris marini, Calendula, Lavendula, Mentha, Pae-
niae grana aliquot trita, & cum Aq. Pœniae macerata, cu-
jus medicamenti usum ad plures dies extendere jubent*
Practici. Hinc etiam factum, ut à Veteribus *Praonia*
ἰφλατιον nuncuparetur, propter singularem vim, quâ
pollet in hoc affectu arcendo. Similiter commendant
Decoct. Guajaci, Sasfras, cum præniâ & similia. Etsi
fuèrit in Causâ *Sanguis, antè somnum* exhibent *Poma au-
rantia, Myrobolanos conditos cum Semine Pœniae aut Corian-
dri &c.* Si à *Melancholiâ aut putridis Vaporibus?* *Conser-*
vam

vam *Borraginis, Melissa, Conditum Citri cum cortice; Bezoar*
Or. Confect. Alkermes & similia. Similiter si *Pituita* in causâ
fit; Pituitoso humori appropriata: miscent quoque si
Vterus laboret, quæ suffocationem præcavere & confor-
tare eundem valeant.

XLVIII. *Chymici* in hoc Affectu commendant
Tincturam & Magisterium Corallorum & Perlarum; *Lapi-*
des Armenum, Lazuli, Chrysolitum, Malachitam &c. præ-
paratos: *Olea item destillata, & Spiritus Rosmarini, Sal-*
via, Succini, Chamameli, Cinnamomi; Extr. Paon. Visci.
Quercin: Corylin: Juniperin: &c. & quæcunq; Epilepsiæ
applicari solent, etiam huic affectui conferre judican-
tur.

XLIX. *Externè Capiti* prospicitur, præcipuè, si ab
aëre humido & frigido periculum immincat, *vel Lini-*
mentis, ut: Ol. Mastichino, Caryophyll. de Absynth: Ruta, Cos-
zino, Laurino, Anethino: vel Phænigmos, ad discutiendam
materiam Capiti applicetur, *authoritate Avicennæ,* vel
id conspergatur *pulvere præparato è Corticibus Citri siccis,*
Cypero, Caryophyl: fol. Majoran. Betonicae sicc. fl. ros. rubr. &
Stæchad. Arab. qui pulveres si fiant grossiores; in forma
Pileoli imponi poterunt: *Vel lixivium* parari indè, ad
Caput lavandum. *Cordi quoq; & Pulsibus ut Epithema-*
ta applicentur non negligendum est.

L. *Amuleta,* etsi à quibusdam omninò reijcian-
tur, *experientiâ tamen teste plurimis ea profuisse Ma-*
gneticâ suâ vi, fateri cogimur, tum in hoc, tum in aliis
morbis. Huic tamen appropriata esse censentur *Co-*
rallia rubra, quæ & *Causæ maleficæ adversari credun-*
tur: Lapis Chrysolitus, auro inclusus, uti & *Malachites*
in sinistro brachio gestatus, uti videre licet apud *Sen-*
neri.

neri. Prax. lib. 1. Part. 2. cap. 29. Quare etiam *Allium*, si
se. Malefica causa sit *Aldrovandus* commendat, *Oribasius*
lib. 8. cap. de Stryge, ubi ex *Q. Sereno* versus sequentes
allegat.

Præterea si fortè premit *Stryx* atra puellus
Virosa immulgens exertis utera labris,
Allia præcepit *Ticini* sententia necti,
Qui veteri claras expresit more togatas.

LI. Præter dicta autem in specie ad *Puerorum* no-
sturnos terrores, commendat *Strobelbergerus*, *Aquam Ma-*
tricarie, qui & Capiti jubet imponere sacculum *Aniso-*
tuso repletum; *Pulverem fumarie* carbonibus injectum
pro fumo: *Occultâ* verò vi eosdem arcere dicit: *Dex-*
trum Lupi vel *Vrsi Oculum* collo appensum. Videantur
etiam *Fouzanus*, & alij, qui de *Morbis puerorum* scri-
pserunt.

LII. *Diata* consistit in administratione legitimâ Sex
rerum nonnaturalium vulgò dietarum, quæ sunt:
1. *Aer*. 2. *Cibus & Potus*. 3. *Motus & Quies*. 4. *Somnus*
& *Vigilia*. 5. *Excreta & Retenta*. 6. *Animi Pathemata*.

LIII. *Aer* igitur vitandus *Nebulosus*, *humidus*, *fri-*
gidus valdè, præcipuè denu dato capite, item *ventus tur-*
batus, aut *retris vaporibus inquinatus*: eligatur potius *Ca-*
lidus & Siccus. *Radios* item fugiat æger *Solares* de die, *Lu-*
nares tempore *Nocturno*, *igneum* quoq; *calorem &*
fumos.

LIV. *Cibus* utatur, qui sint calidiores & ficcio-
res, tenuiores & attenuantes, facilisq; concoctionis
& distributionis, & qui flatus non generent: sobriè &
parcè in *Cœnâ* præcipiè vivat; *Crapulam* & *nimiam*
repletionem *Pestis* instar fugiat. *Condiantur* quoq;
Cibi speciebus peccanti humori adversantibus; ut in

Pituita, attenuantibus sc: *Hyssopo*, *Serpillo*, *Saturaia* &c.
In *Melancholia*, talibus, quæ eam temperent, sc: *fl. Borra-*
ginis, *Buglosi* & similibus: &c. Quoad *Pocum*, à *Vino*, quo-
niam id *Caput* facile replet, præcipue crasso, sibi tem-
peret, vel tenuiore vel diluto utatur. *Cerevisiam* bibat
secundariam aut tenuiorem aromatis correctam, nec
non *Aquam* coctam cum *Seminibus Anisi*, *Coriandri*, *fœ-*
niculi, addito paucò *Cinnamomo*.

LV. *Exercitia Corporis* sint moderata & ad pro-
movendam concoctionem accommodata: inprimis
post *Cœnam* antequàm æger cubitum se conferat, levi
utatur deambulatione.

LVI. *Somnus*, non nisi tribus horis à *Cœnâ* suc-
cedat, fugiatur *Meridianus*; dormientes *elevato Capite*,
& in *latus inclinati* jaceant, quia *decubitus supinus* nocet,
dum non modò difficilem reddit *respirationem*, sed
& *insomnia* turbulentissima procreat, inprimis *brachio*
utroq; sursum extenso.

LVII. *Alvus* quotidie sic *aperta*, & nisi succedat,
Clystère vel *Suppositorio* vel *Lenitivo* aliquo pro-
moveatur. Id quod etiam in *Menstruorum aliarumq;*
consuetarum evacuationum promotione notandum, ut debi-
to tempore & convenientibus medicamentis promo-
veantur. *Venus* vel omninò vitetur, vel sic mode-
rata.

LVIII. *Affectus* tandem *Animi*, semper ad *hilari-*
ratem vergant, vitentur *Cura*, *Tristitia*, & omnes occa-
siones, quæ vel *Terrorem* vel *Timorem* incutere pos-
sunt.

Corol-

COROLLARIA.

1. Utrum dentur Pygmæi. Aff.
2. Utrum detur Incubus Dæmoniacus. Aff.
3. Utrum Antimonium in usum Medicum sic
recipiendum. Aff.

Laus DEO Opt. Max.

FINIS.



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270




f
Sb.

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

DICA
UBO,

1644, 2
22

OPT. MAX.
ORITATE
RIENTISSIMI
ORIENTISSIMA
Borussiacâ
orali
DINEM
TERATORVM
EPPLER
INÆ DOCTOR
&c. &c. uti &
&c. &c. Medicus,
Regiomontana-
rius,
ipice
Moldenhatver!
EMICI
IV.
meridianis.
SNERIANIS.